Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 17. Decembris.

M. DIONYSIO PUYLON, Doctore Medico, Præſide.

An Innupta Ævi Brevioris?

VITAM cuivis facilius quam vitæ ſtudium abſtuleris. Eſt quædam rerum omnium, nulla vitæ ſatietas. Sed cum primam ex natura hanc habemus appetitionem, ut conſervemus noſmetipſos: tum certe nihil ad bearè diuque vivendum præſtabilius, quàm ſecundum naturam vivere. Eſt enim omnis natura diligens ac conſervatrix ſui; quam ſi ducem ſequemur, nunquam aberrabimus. Si quis autem arbitrio ſuo regi, quam ei morem gerere ac vitæ magiſtram habere maluerit; quidnam ei continget niſi quod à recta & expedita via deflectentibus uſu venit? Per ſalebras ac ſcopulos repere videbis, frequenter labi; imò & nonnunquam ferri præcipitem: eos videlicet innumeris fere ſubjacere morbis, miſerrimam vitam inter dolores ac luctus trahere, immaturo denique occumbere fato neceſſe eſt, qui rebus iis quæ ſecundum naturam ſunt fruentes vivere neglexerint. Ut enim à natura oritur apta hæc atque conveniens inter ſe corporis partium humorumque conſenſio, in qua bona valetudo poſita eſt; ita & ejus ſtat viribus atque conſervatur: quâ ſublatâ, quid eſt aliud vivere, quam dolere, fatalemque ac brevem interitum opperiri. Hinc quæcumque ſunt in rerum natura (ſed omne præſertim viventium genus) naturæ legibus cupidiſſimè parent; iis enim rei cujuſque ſalus ac cuſtodia continetur. Itaque ſi ſemel hæc fundamenta everteris, omnia conſtat in pejus ruere ac retro ſublapſa referri.

PRINCIPIO ea quæ gignuntur è terra certis temporibus conſeri, coaleſcere, folia emittere, creſcere, fructus, ſemina effundere natura voluit; nec iſta ubique, ſed propriis ac convenientibus locis: alia quippe arenti ac ſylveſtri ſolo, alia udo ac uliginoſo delectantur; quædam in convallibus feliciter veniunt, quædam in collibus enaſcuntur: ſi quis autem ſationem antevertere, arte ac medicamentis meſſem maturare, ſterilitatem inducere, aliò fruges traducere voluerit, nonne aut ſtatim areſcent aut ingenitam virtutem brevi exuent? Dedit autem belluis ſenſum & appetitum, ut altero ſecernerent peſtifera à ſalutaribus, altero conatum haberent ad ea quæ ſibi convenientia ſunt obtinenda: itaque famem ſitimque non modo graviter ferunt: ſed niſi expleantur, exhauſtæ viribus, macie confectæ brevi intereunt. Ardor vero ſuſcipiendæ prolis, quo ſtatis anni temporibus incenduntur, quanto eorum periculo cohibetur! Sæpe aviculas, quæ caveis incluſæ tenentur, dum maris aut fœminæ copia deſit, tentigine rumpi, & venerea tabe extingui videas. Mirum vero cum in ſylvis naturæ ſuæ permiſſæ verſantur (quod eſt omne animal libertatis amans) quanto ſe opere cuſtodiunt, ut in paſtu circumſpectant, ut in cubilibus deliteſcunt, ſoliuſque naturæ inſtinctu, optimæ ſcilicet omnium medicæ, morbis ac vulneribus ſuis medentur. Quod ſi laqueis interceptæ fuerint, veluti mœrore confici cernimus; adeo ut nihil eis lethale magis ac peſtiferum fuerit, quam naturæ motibus obſequi prohiberi. Eandem in homine videmus ſive in ſomno ac vigiliis, ſive in cibo potuque capeſſendo, iiſque expellendis, quæ corpori oneri eſſe poſſent, naturæ obſequendi neceſſitatem; adeo nihil eſt, in quo non naturæ ratio intelligentis ſuique ipſius cuſtodis appareat, nihil quod melius effici potuerit: ita ut ſi quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id quod fieri non potuit deſiderabit.

QUANTUM vero à natura fœminæ recedant, quæ nec dulces thalamos, nec veneris norunt præmia, innuunt ſatis commiſcendorum corporum miræ libidines, quæ in omni hominum genere, at in fœminis longe quam in maribus vehementiores exoriuntur: quas cum à natura profectas nullus negaverit: tum vero univerſa eorum forma declarat, cujus gratiâ tam mirabili artificio muliebre corpus natura fabricata eſt. Adſit enim florenti ætate, plenis jam nubilis annis virgo: totius habitum corporis inſpice, hanc oculorum tam clarè nitentium petulantiam, hunc vividi coloris nitorem, hanc genarum atque oris purpuram, hos in pectore teretes globulos tam æquabili motu oſcillantes, cætera denique novis undequaque perfuſa gratiis ac veneribus delibuta, & à quovis bonæ mentis ſciſcitare quid iſta ſibi velint, reſpondebit ſcilicet quod res eſt, ut nubat. Ne autem hujus virginis, non ſecus ac marmoreæ cujuſdam ſtatuæ formam tantum conſideremus, juvat, ut Medicos decet, quæ interius in ea geruntur admota veluti face curioſius rimari. Ad quid iſtæ menſtrui ſanguinis reciprocationes & humorum undique exundantium perennis in uterum influxus, niſi ut ex his fœtus conformetur & alatur? Ad quid illi micantium papillarum globuli, niſi ad lactandos ac fovendos infantes? Quæ cum ſapienter à natura ſunt inſtituta; tacita ut ita dicam lege eidem nuptias indixiſſe videtur: quandoquidem & eam tantum ob cauſam principio rerum ab authore Naturæ muliebre corpus conditum fuiſſe conſtat. At cum ea ratione univerſi generis humani conſervationi natura conſultum voluit: tum certe mulierum quoque maximè proſpexit incolumitati.

MAXIMAM in muliebri corpore humorum conſtat exundare colluvionem; quibus expurgandis, uterum in proclivi natura conſtituit, per quem ſtatis temporibus elaberentur. Sed cum ex intumeſcente in propriis receptaculis ſemine aut ex nimia craſſiorum ejuſmodi ſuccorum copia atque illuvie & viarum anguſtiis ſanguinis menſtrui vacuatio impeditur; dum per ſinuoſos vaſorum meatus ad uterum labitur effluxurus: compreſſo motu brevi corrumpitur: mox ſurſum exundat ac refluit per venas majores, atque in varias corporis partes peſtiferum effundit virus. Hinc miſeram puellam pallore larvali luridam, repentinis animi deliquiis perpetuo deficientem, edulium ciborum faſtidio, rerum noxiarum effrenata cupiditate vexatam, vehementiſſima ſiti areſcentem, lenta febri ac mœſto languore confectam, aſſidua cordis palpitatione anhelantem, ægrè animam ducentem, hyſtericis ſuffocationibus frequenter exanimatam inter dolores ac miſerias triſtiſſimam vitam trahere cernimus. Quid autem huic melius precemur, niſi ut ejus citò parentur nuptiæ, eique vir quæratur, qui non jucundam minus ac parabilem, quam convenientem & neceſſariam tot malis adhibere noverit medicinam.

QUÆCUMQUE ergo ſibi conſultum voluerit ubi hac vehementiori tempeſtate correpta cimbam auferri ſentiet; aurâ potius ſecunda naviget, quam adverſus maris æſtum curſum dirigat: cui cedere paululum ſatius ſit, quam adverſante ac repugnante naturâ, non ſine magno vitæ periculo reluctari. Sed & incaſſum contra ratio ſive anima nititur. Non tanti eſt ejus authoritas, ut inſtar Neptuni, dicto citiùs tumida placet æquora: ut cumque enim corporis principatum ſibi vindicet: omnes tamen hujus imperii partes ejus nutu non reguntur; & ſuis corpus, hoc eſt naturæ uti legibus vel invita pati cogitur, & quotidie nutriri, creſcere, generare videt injuſſu ſuo: ita nec ejus opis eſt innata hæc vincere ad venerem incitamenta. Quaſdam nihilominus pudor tenet, quaſdam deterret metus, quaſdam neceſſitas prohibet, ne quod tantopere natura poſtulat atque expetit, eidem indulgeant; & cum irruentem in ſe malorum turbam ſentiunt, Medicum adeant ac vulneri fomentum parent. Manent itaque innuptæ, omni humana ope deſtitutæ: & niſi eas æquus Jupiter amaverit; brevi conſeneſcere, & ante diem ſuum cadere neceſſe eſt.

Ergo Innupta Ævi Brevioris.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus Maillard.
M. Ioannes Poiſſon.
M. Ioannes-Claudius Delarbre.
M. Iacobus Deſprez.
M. Renatus Chauvel.
M. Petrus-Paulus Guyart.
M. Antonius de Caën.
M. Carolus de Laval.
M. Dionyſius Dodart.

Proponebat Pariſiis JOANNES-MICHAEL GARBE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1682.